



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Institutionum Juris Canonici Sive Primorum totius Sacrae  
Jurisprudentiae Elementorum. Libri Quatuor**

**Febeo, Francesco Antonio**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

**VD18 13560743-001**

Tit. I. De rerum Ecclesiasticarum divisione


---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63052](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63052)

# INSTITUTIONUM JURIS CANONICI LIBER SECUNDUS.

## TIT. I.

### *De rerum Ecclesiasticarum divisione.*

1.  Superiore libro actum est de jure personarum; agendum modo est de Ecclesiasticis rebus, quæ sunt altera pars tractandorum juxta divisionem indicatam à nobis in *tit. præm. lib. 1. num. 2.*

2. Ecclesiasticarum igitur rerum species atque divisio multiplex est. Aliæ enim sunt res spirituales, aliæ temporales. Spirituales sunt, quæ immediatè ad Animam ordinantur, ejusque causa immediata sunt institutæ, qualia sunt Sacramenta, Ecclesiæ, Altaria & similia. Temporales autem, quæ immediatè corpori inserviunt, qualia sunt prædia, domus, aliæque ejusmodi, quæ ordinantur immediatè ad alimentum Ministrorum Ecclesiæ, aut ad Ecclesiæ sustentationem; unde saltem remotè ordinantur etiam ad bonum Animæ: quia sicut Anima sine corpore non vivit in Ministris Ecclesiæ; ita Ecclesia, aut Ministri Ecclesiæ sine rebus corporalibus in nullo proficiunt, ut dicitur in *c. Si quis objecerit 7. 1. q. 3.*

H 3

3. Rut-



3. Rursus res spirituales subdividuntur in corporales, & incorporales. Res incorporales sunt quæ sensu corporeo percipi non possunt, cujus generis sunt virtutes, & interna dona Dei, item ea quæ in jure consistunt, pui a jure ligendi, jus instituendi, & similia. Res corporales dicuntur, quæ aliquo humano sensu percipi possunt, & hujusmodi sunt Sacramenta, res sacræ ac religiosæ, &c.

4. His prænotatis, juxta communem methodum Canonistarum, specialem tractatum de rebus incorporalibus hic non institui-  
mus, cum plura ad illas concernentia dicta jam sint in prima parte Institutionum, aliaque plura dicenda sint infra suis in locis; sed immediatè progredimur ad tractandum de corporalibus, ac primum de Sacramentis, quæ earundem rerum sunt nobilissima species, dicturi postea de rebus sacris, & religiosis, & ultimo loco de temporalibus.

## T I T. II.

### *De Sacramentis in genere.*

1. Sacramentum in genere definitur à Magistro in 4. dist. 1. c. *Quid sit Sacramentum: invisibilis gratia visibilis formæ, ejusdem gratiæ similitudinem gerens, & causa existens.* Hæc definitio utpote aliquantulum subobscura, solet